

## **Dissertatio medica inauguralis de mola ... / [Nikolaus Lorenz Maas].**

### **Contributors**

Maas, Nikolaus Lorenz, 1658-  
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.  
Universität Jena.

### **Publication/Creation**

Jenae : Literis Krebsianis, [1684]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vxfzdn54>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

9

ARCHIATRO SUMMO FAVENTE!  
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE

M O L L A,

*Quam*

Jussu atque autoritate Gratosissimæ Fa-  
cultatis Medicæ in inclutâ propter Salam  
Academia,

P R Æ S I D E

AUGUSTINO HENRICO  
FASCHIO,

Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botan.  
Prof. Publ. Archiatro Ducali Saxon. & Facultatis  
Medicæ h. t. Decano spectatissimo,

*Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore  
atatem venerando,*

P R O L I C E N T I A,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,

*PUBLICÆ SYMMYSTARUM DISQUISITIONI SUBJICIT*

NICOLAUS LAURENTIUS MAASIUS,  
Wilstriâ Holsatus.

IN AUDITORIO MAJORI,

*horis ante & post meridiem consuetis, ad diem Januar. 28. Anno MDC LXXXIV.*

J E N Æ,

LITERIS KREBSIANIS.

DISSELTATIO MEDICA HANDBUCHS  
ABHATNO SEMINO H. VENTRI

# M O L L A

Juli aequa auctoritate Cæsaris  
cultura Medicina in hoc propo Salva  
Academia

P. R. A. S. I. E.

## AUGUSTINO HENRICO FASCHIO

Med. Doct. Astroni Chirurg. & Botan.  
Prof. Publ. Medico Dutch Saxo. & Palatin.  
Medic. e. Doctor. legitimus.  
Dni P. R. A. S. I. E. Praefatoris

### PRO LICENTIA

Summo in Arte Medica Honoris et Praeferentia  
DOCTORIA ELECTO H. A. S. I. E.  
VICARIO UNIVERSITATIS H. A. S. I. E.

## NICOLAUS LAMBERTUS MASSIUS

Widua Holler  
IN AUCTORIUM H. A. S. I. E.  
H. A. S. I. E.



## PROOEMIUM.

**M**ulta in natura dantur arcana, multa monstrosa, quæ neminem latere possunt, qui vel primis saltim, quod ajunt, labris medicinam degustare cœpit. Illa æquè atque hæc merentur admirationem, & penitiorum sui indagacionem exposcunt à Medico, ministro naturæ, qui hujus arcanorum promus condus simul audit. Quo munere ritè ut fungatur, ultra vulgus sapiat necesse est, ne in phænomenis, vel secundum vel præter naturam rite explicandis sibi solùm, sed aliis potiùs sapere videatur. Non enim sponte, non sine causis, vel manifestâ facie, vel altiori scrutinio eruendis, fiunt, quæ fiunt in natura, tanquam ferias ageret suis sibi relicta terminis, omnia dirigit ad perfectionem consequendam. Imò ne otiosa esse videatur unquam, impedita, nescio quâ causâ, in suò opere ordinariò, monstra potius prodeunt, quàm planè nihil. Patet id præcipuè in opere naturæ omnium quasi primariò & naturalissimo, *generatione*, ubi totò die tam foetus perfectos, quàm imperfectos, tam monstrosos, quàm foetus nomine nonnunquàm planè indignas res nasci, ocularis demonstrat experientia. Parturiunt interdum montes, nascitur autem ridiculus mus, ut verba hæc mea faciam; quæ molæ ejusdemque generationi atque productioni applicare, congruè satis hâc vice licebit; ubi jussu &

consensu gratiosissimæ Facultatis medicæ loco speciminis inauguralis illius naturam, quantum quidem ob summam temporis angustiam licebit, in præsentiarum tractare publicoq̄ue eruditorum examini subicere animus est. Summum Numen devotis sollicitamus precibus, ut labores hosce suæ ipsius gloriæ & proximi salutis deditos ratosq̄ue esse jubeat.

## §. 1.

**C**um secundum *Platonem in Timæo*, in omni tractatu fieri debeat, ut inter initia consideretur, quid sit, de quô agatur; hinc & nos molæ naturam indagaturi, nominis originem & explicationem fundamenti loco meritò præmittendam esse ducimus, antequam ipsius rei definitionem proponamus, ut nodis tricusq̄ ambiguitatis solutis nudam magis rei veritatem exequi queamus.

## §. 2.

*Etymologiam* itaque quod concernit, affectus hic, de quô acturi sumus, Græcis *μύλη*, Latinis *mola* à motus gravitate & difficultate *τῆς μύλης* ita dicitur, eò quod lapidis molaris ad instar in utero mulierum resideat eumq̄ue molestat; quô de videantur autores varii. Nonnulli etiam molam ob *figuræ similitudinem* ita dictam esse putant, quam cum lapide molari communem obtinet, & iis placet deducio à Gr. *μύλον*, quod *rotundum* denotat.

## §. 3.

Circa *homonymiam* variæ quidem vocabuli hujus acceptiones occurrunt; quæ tamen à benevolo lectore facile discerni poterunt. Sumitur enim (1.) in *propriâ* significatione pro *lapide durô pistrinariô*, quô semina cerealia in pistrino conteruntur; (2.) *impropriè* ob figuræ similitudinem *patella* seu *rotula* genu superimposita *μύλη* vocatur à *Gal. lib. de off. cap. 23*. Hinc etiam dentes *μύλαι* audiunt, quod usu suô molas referant, nam molarum instar cibum præcisum conterunt, *lib. cit. & lib. 9. de usu part.* quod vocabulum tamen à *Suidâ* generaliter pro quibusvis

busvis dentibus & ab *Hesychio* pro maxillâ totâ sumitur. *Alii* per molam inflammationem & scirrhum uteri induratum intelligunt, de quo vid. *Aegineta lib. 5. cap. 69.* Ab *Avicenna*, modò pro carne quadam in utero excrecente habetur, modò ab aquis & flatibus dependere molam scribitur *lib. 3. fen 21. tr. 2. cap 18.* Sed nos per vocabulum molæ speciali significatione hoc locò nihil aliud indigitamus, quàm carnem informem ac inutilem in utero muliebri conceptam, Germanis ein Mondkind / oder Mutterkalb / ein Mutter-Gewächts.

## §. 4.

Ratione *Synonymia* mola multas ubique sortitur appellationes. Vocatur enim imprægnatio fatua à *Franc. Joële tom. 5. l. 8. p. 279.* conceptus vitiosus à *Laur. in anatom. p. 312.* pondus uteri iners; de quo legi meretur *Roder. à Castro de morbis mulierum lib. 3. cap. 7.*

## §. 5.

Definitur mola, quod sit caro seu massa carnea conglobata, otiosa, informis ac inutilis in utero muliebri ex imperfectâ conceptione à facultatis formatricis errore fœtus locò genita.

## §. 6.

Generis vices tenet caro seu massa carnea, ἡ δὲ ἀργή, otiosa, conglobata, ἀδιάπλαστος, informis ac inutilis; juxta *Galen. lib. 14. de usu part. c. 7.* Carneam æmulari substantiam hujus molæ conglobatam massam, præter Autorum testimonia ocularis probat inspectio; non obstantibus illis molis, quæ ad modum sanguinis concreti membranaceò integumentò obvolutæ, compluribus sanguifluorum ramificationibus pro alimento instructæ observatæ sunt, sine ossibus tamen, visceribus atq; nervis. Undè etiam otiosa dicitur, quòd perfectò & voluntariò, qualem habet fœtus perfectus, motu non gaudeat; si quem vero habeat, analogus est, non ex se, sed potiùs ab utero illum sentit. Porrò informem vocavimus molam, non absolutè, ac si planè esset ἀμορφος, siquidem illa variis sæpè figuris in conspectum prodit, sed respectivè, quòd ad nullam speciem viventium, nedum humanam, referri possit.

Cum verò mola citra omnem controversiam res quædam præternaturalis sit, hoc loco meritò disquirimus, cui rerum classi adscribenda sit, an morbi vel causæ morbificæ, vel symptomatis titulo veniat? Nonnulli illam tumoris intuitu ad morbos magnitudinis auctæ referunt; alii verò ab his divortium facientes, morbis in numero aucto adnumerant, quòd novum quendam numerum constituat, quos inter *Rodericus à Castro* est, qui certis verbis illud asserit, *lib. de morb. mulier. part. 1. l. 3. cap. 7. Verum nobis minùs arridet hæc sententia, cum effatò Excell. Dn. D. Wedelii, theor. p. 2. sect. 1. theor. 36. nihil excedit vel deficit in numero, nisi quod naturaliter ut pars integrans adest vel adesse debet. Undè nostram declarantes mentem, molam ad morborum causas referendam esse statuimus. Non enim est διάθεσις παρά φύσιν, sed eandem tanquam causa antecedit, & in utero non aliter atque calculus in vesicâ vel renibus, aut vermes in intestinis, hæret.*

*Subiectum* seu pars affecta est *uterus*, qui uti in statu naturali suâ nativâ dispositione ad foetum concipiendum aptus natus est; ita in statu præternaturali molæ quoque fit commodissimum hospitium; siquidem ea citra uterum considerari nequit.

*Causa immediata* est *ἀποτυχία*, error seu frustratio facultatis formatricis, ex seminis utriusque sexûs morbosò & sanguine menstruò vitiatò dependens.

*Causam mediatam proximior* constituunt *semen virile, & ovula muliebria*, (duo ad conceptionem naturalem principia hypostatica,) cum *sanguine menstruò*. Hæc enim quamdiù benè sese habent, neque vitium aliquod in quantitate, neque in qualitate adest, organis insimul aliisque requisitis benè constitutis, sobolis conceptio & formatio optimè succedit. Simulac verò à statu naturali abeunt, & vel quantitate, vel qualitate peccant, facilè conceptio læditur, & in formatione error committitur, ut *vel nul-*

li, vel pauci, vel deformes, monstrorum nomine venientes, generentur liberi; Vel natura planè exorbitans massam inutilem ac deformem, foetus locò, molam scilicet, fabricet. Et quidem semen virile facultati formatrici ad errorem hunc ansam præbet, quando deficit (1.) *quantitate* juxta Hippocratem *lib. d. morb. mulier.* qui eand. sententiam repetit iisdem ferè verbis *lib. d. sterilib. & hujus sectatores Vidum Vidium tom. 5. oper. pract. lib. 11. cap. 19. p. m. 608. Ludovic. Mercat. de morb. mulier. lib. 3. cap. 8.* aliosque. Sæpiùs tamen hoc præstat, (2.) *qualitate* quando simul peccat, e. g. si fuerit nimis tenue aut aquosum, aut nimis crassum & spissum, quod *Hipp. loc. cit.* accusat, cui pauci insunt spiritus, ad verè imprægnandum ovulum insufficientes. Et licet tale in amplexu maris & fœminæ semen utero injectum rore suo ovarium vellicet, descensumque ovuli ad uteri capacitatem sollicitet impetretque, at tamen propter spiritum plasticum infirmum, idæis peregrinis ac morbosis infectum, à scopò aberrare & solummodò carneam indigestamque molem, visu abominabilem, cui lumen ossaque ademta, ἀμορφον, relinquere cogitur.

## §. II.

Sicuti verò à feminis virilis ἀποτομία, spe frustratâ, mola dependere solet; ita semen (ovulum) muliebri peregrinò & morbosò imbutum caractere hunc ansam præbere videtur similiter. Semen autem muliebri nuncupamus, non ut illorum sententiam suscipiamus defendendam, qui istud in pollutione nocturnâ excerni, vanâ persuasione sibi imaginantur; horum siquidem opinionem accuratior istarum partium examinatio revellit. Id solum notasse sufficiat, quòd plures sint autores, qui ex solò semine muliebri molam produci asserunt; inter quos eminent Faber. Quò etiam spectat, quod *Garmannus dissert. de ovò humanò §. 38.* asserit: si carnosioribus pelliculis, inquit, ovula cingantur, nec feminis masculi mistura celebrari, aut secundum Harveum contagium per quandam quasi irradiationem iisdem communicari poterit. Putrescunt igitur aut in testibus, aut in uterum delata in molas degenerant carnosas, &c.



Sanguinem verò menstruum quod attinet, ille per se sufficiens esse posset ad hoc malum, si *Mercurialis* sententiæ faveremus; illã tamen de molis sanguineis non perfectis accommodari posse videtur. Hoc vero locò illum peccare dicimus, quando vel in copiã nimia adest, vel quando humoribus excrementitiis scatet, feculentus, nimis crassus, ad nutritionem fœtus minimè idoneus, imprimis si uteri accedat indispositio, nativa debilitas à frigidò & humidò fota temperamentò, ac impuritas. Utrumque accusat *Hipp. loc. cit.* cui consentit *Aristot. lib. 4. de gener. animal.* quando quærit: *cur cæteris animalibus mola non generetur, nisi mulieribus solùm?* simulque respondet: *eas inter animalia affectionibus uteri esse obnoxias & menstruis abundare.*

## §. 13.

Causas remotiores constituunt omnia ea, quæ quocunquẽ modo ad molæ generationem suam *Ἐνθάδου μέγ* addere valent. Dividuntur vulgò in res naturales, non naturales & præternaturales.

## §. 14.

Ex naturalibus primum locum sibi vindicat temperamentum frigidum & humidum, quod ob caloris defectum præ cæteri serofos, crudos aliosque humores ineptos generat, qui uterum molestias afferre ejusque calorem suppressere valebunt, unde ob hanc intemperiem *ἀποστέννυται αὐταῖς ὁ γόν*, extinguitur genitura, effatò *Hipp. 5. aph. 62.* non aliter, quàm semina, paludosis locis concredita à nimia humiditate suffocari ut plurimum videmus.

## §. 15.

*Ætas media & subsistens* huic malo potissimum est obnoxia, quòd ætate hãc degentes præ senioribus humidiorum; præ juvenculis autem frigidiorum corporis constitutionem habeant, quòd excrementitiò polleat sanguine, qui alias per menstrualem evacuationem dimitti solet, à Veneris verò impetu alteratus vel turbatus latera uteri inquinare, iisdem adherere, stercina sibi formare & deniq; in molam abire potest. Neque e-

cludenda

dendam hic esse *etatem juvenilem*, practicum monent obser-  
vationes.

## §. 16.

*Obesitas & pinguedo corporis exuperans* huc maximè qua-  
drat; quatenus necessaria vaporum excrementitiorum transpi-  
ratio per cutis spiracula ab eadem impeditur; undè massa san-  
guinea vitiosam concipere qualitatem facillimè poterit, quæ  
ad ovaria aut uterum deducta generationi aliàs dicata or-  
gana de laudabili temperie dejicere, atque sic turbata ad mo-  
læ conceptionem disponere valens est.

## §. 17.

Ex *non-naturalibus* causis eminet AER, qui, propter in-  
evitabilem ad vitam nostram necessitatem, *περιχύσσει καὶ εἰσπνοῇ*  
corpora valdè exercet, variasque inducit metamorphoses mor-  
bosas, juxta *aph. 11. & 12. & 22, sect. 3.* & ad molæ genera-  
tionem disponere assolet, præcipuè frigidus & humidus, plu-  
viosus, austrinus, qui etiam fœtui ipsi minùs favere dicitur ab  
*Hofmanno l. 2. inst. cap. 3.* Siquidem frigiditate suâ poros cutis  
constringit, transpirationem impedit, humores auget, corpora-  
que aliàs cacochemicalia aut pravis succis referta, frigidiora, se-  
menque magis infœcundum reddens, molæ conceptionem  
promovet. Partes enim  $\Delta$ reæ sanguinis supprimuntur, humo-  
res cumulantur, calor corporis infringitur, nervosis uteri par-  
tibus torpor inducitur, conceprix uteri depravatur, ut vera im-  
prægnatio non sequatur.

## §. 18.

Nec minorem ansam præbet *cibus & potus* quantitate,  
qualitate utendique modò peccans. Frigidus & humidus in-  
culpatur præcipuè, e. g. olera, leguminosa, lactinia, fructus  
horarii dulces; imò saccharata & mellita, quibus aliàs, nescio  
quâ falsâ persuasione motæ mulierculæ, pro fœtus roboratio-  
ne utuntur. Facile autem hæc fermentare, turbasque in ventre  
excitare compertum est ex quotidianâ experientiâ, quâ doce-  
mur potius ad molæ generationem symbolum contulisse hæc  
suam quàm eandem declinâsse. Similiter de *potu* constat, ab

ejusdem copiâ ingestâ ventriculum gravari, turbarique simul reliqua viscera in actionibus suis, laudabilem aliàs sanguinem vitiari & genituram debilem & infrugiferam fieri; quapropter, ex mente *Platonis*, non oportet corpora ebrietate diffusa operam dare liberis.

## §. 19.

*Motum & quietem, somnum & vigiliam* quod concernit, si mediocritatis terminos transcenderint, varias corpori inducere valent mutationes, simulque hic suum afferre consensum. Quibus etiam adnumerari debet *excretorum & retentorum* ratione menstrualis fluxus aut nimia, aut pauca evacuatio, utraque ad hujus molæ productionem faciens. Neque excluderentur *animi pathemata*, quæ hic suum addere quoque calculum possunt. Ex omnibus verò *imaginationis* vis satis robusta est, quæ in fœtu jam constituendo aut formando errorem perpetrare sæpè solet, cujus rei testimonia plurima notata leguntur apud Autores.

## §. 20.

Neque excludendæ hic sunt res *præternaturales*, e. g. morbi graviores prægressi & chronici, & in specie abortus frequens, partus difficiles, cachexia, epilepsia, paralytis & similes, quibus corpus enervatum & calore suo orbatum ad veram imprægnationem inutile redditur.

## §. 21.

*Differentia molarum* variæ occurrunt: 1. *ratione generis & quidem (1.) in substantiâ*, quâ *alia* obductæ & intertextæ visuntur multis fibrosis ligamentis, quæ duræ, viscidæ adeoque tenaces interdum sunt, ut aciem cultelli spernant, teste *Petr. Saliô in annot. ad cap. 12. præct. Altimar. Alia* molliores, fibrosæ tamen, plurimisque vasis sanguifluis intertextæ; *Alia* velamentis membranosis solùm vestitæ & involutæ, in medio nullis ferè fibris stipatæ; interdum, notante *Rod. à Castro lib. 3. de morb. mul. cap. 7.* substantiæ globosæ, aquosis bullis rotundis tumidæ. *Mola pulmentaria* mentionem facit ex *Arculano Job. Schenck. lib. 4. obs. 230. p. m. 681.* (2.) *In figurâ.* Mo-

larum figura ad certam aliquam referri nunquam potest; modò enim planè informis est, modò formam rudem exhibet, eamque mox oblongam, mox rotundam, mox rhomboideam, mox angularem, mox membri alicujus aut animalis figuram æmulantem. Sic modò citatus Autor vidit molam cum binis fociis ab honestâ matronâ excretam, quæ ad similitudinem membri virilis ferè formata. *Platerus* vidit eandem stellæ marinæ, aliam rostro accipitris, similem, *lib. 28. obs. 62.* *Bartholinus* verò *cent. 4. hist. 84.* caput ovillum cum dentibus ex maxillâ prominentibus, cum pilosâ cute & oculis ovillibus, repræsentantem. Plura qui vult exempla, adeat *Marcell. Donat. hist. med. mirab. lib. 4. cap. 25. Schenckii observ. medicinal. lib. 4. obs. 214. & seqq. Sachsi schol. obs. 1. decur. 1. ephem. Germ. ann. 1. & alios.* (3.) *In numero.* Nonnunquam unica excernitur mola, nonnunquam *duæ* aut *tres*; sæpè etiam plures à se invicem discretæ excernuntur. Sic *duas* unò partu excretas se observâsse scribit *Mercurial. lib. 1. de morb. mul. cap. 3.* *Tres* emissas unâ vice fuisse, ex *Altimaro* adduximus. *Sex* frustra unò die rejecta notavit *ὁ μακροειτης Rolfincius lib. 3. epit. cur. morb. part. cap. 35.* quorum primum libras tres pondere æquavit suò. *Novem* verò *Nicolaus*, citante *Schenckio l. c.* Fidem ferè superare videtur *Bened. Sylvatici enarratio cent. 4. obs. med. cap. 53.* de Comitissâ quadragenariâ, plures quàm **CLIV.** molas diversarum figurarum unicò partu excludente.

(4.) *In magnitudine*; à quâ non levis momenti differentia occurrit. Quædam enim æquant magnitudinem juglandis, quædam ovi, quædam capitis hominis, autore *Hildano cent. 2. obs. 54.* Nonnullæ magnitudine suâ illud superant, teste *eod. l. c. obs. 55.* ut ipsum fœtum involvere potuerint, qualia exempla referunt *Alex. Bened. lib. 25. de curand. morb. cap. 29. Kerckring. spicil. anatom. observ. 95. Garmannus dissert. de gemellis & partu numeros. cap. 1. §. 5.* (5.) *Durationis tempore.* Excluditur alia citius, alia tardius, modò cum fœtu, modò sine fœtu, modò ante, modò post partum. Exempla talia suggerunt *Hollerius, Marcellus Donatus, Hildanus, Schenck. & alii.* Quæ-

dam per unius aut alterius solummodò mensis decursum exercent sequiorem sexum; quædam verò ad aliquot annos molestias trahunt suas; quædam ad ultimum vitæ tempus geruntur, qualia exempla iterùm prostant apud jam cit. autores.

II. *Subjecti ratione* differentia desumitur à loco, cui inhæret; unde alia partem uteri superiorem occupat, alia inferiorem; alia fundum infestat, alia cervicis latera. Extraordinarium est, quando observata in tubis, licet rarissimè, fuit mola.

III. *Ratione causarum* tot occurrunt, quot causæ sunt numeratæ in præcedentibus, differentia.

§. 22.

*Signa* nunc sequuntur duplicia: *diagnostica & prognostica*. Illa sunt vel generalia, vel specialia. *Generalia* sunt illa, quæ cum veræ ac legitimæ imprægnationis indiciis coincidunt, suntq; mensium suppressio, appetitus imminutus aut depravatus, lassitudo, nausea, tumor mammarum & abdominis &c. *Specialia* verò ab Hippocr. lib. 1. de morb. mul. recensentur (1.) *ventris velut prægnantis plenitudo*, (2.) *immobilitas*, (3.) *lactis in mammis sororiantibus defectus*. Etsi enim abdomen æquè tumere incipit, ac in verâ ingravidatione; accidit tamen ut citius durior reddatur venter; neque motus, quem foetus aliàs mensibus subsequenter edere solet, persentitur, sed moles molæ immobilis, instar trunci, gravat abdomen. Neque lac genuinum aut verum sese prodit in mammis, sed solum materia aquosa, cruda visitur. Accidit præterea, referente Moschione, corporis macies, depravatus color, redundante nempe sanguine menstruo ad partes supernas. Nonnunquam sequitur sanguinis fusio per uterum, unde mox dolores & cruciatus, animi deliquia, pulsus defectus aliaque symptomata perniciosæ, quæ rarò in verâ ingravidatione observantur. Præterea ab *hydrope uteri* facilè dignoscitur, utpote ubi abdominis mollities, compressioni digiti cedens & fluctuationem ad tactum indicans observabilis est; in molâ autem immobilitas & durities.

*Prognostica* signa versantur (1.) circa *salutem & mortem*.

Omnis quidem mola etiamsi non semper ad mortem terminetur, satis tamen periculosa existit. Siquidem pondere suo continuo premit, diu in utero detenta, hujus facultatem conceptricem vellicat & turbat, ut postmodum in consensum tractis principalioribus visceribus, eorundem *νεγ'ον* invertere, & prostratis corporis viribus, gravissima & periculosissima excitare audeat symptomata, affectamque in presens mortis periculum precipitare, quod exempla apud autores abunde testatum faciunt, quibus constat, sceminas molas enixas post exantlatum laborem, viribus exhaustis, exspirasse. Recens tamen, mollior neque magnitudine enormi gaudens, tantum non inducit periculum; quippe quod natura, commodò adjuta medicamine, illam ut plurimum tertio aut quarto exturbet mense, imò sponte ingratum hunc hospitem dimittat. (2.) Quoad *longitudinem*, periculosa quoque est mola, siquidem firmas egit radices, tenaciusque uteri parietibus adhæret, cujus curatio ad plures menses, imò plures annos protrahitur. Sæpè etiam incurabilis fit & ægram ad vitæ finem comitatur, cumque ipsa emoritur. (3.) Eventum, ejusque *modum* quod spectat, periculum insigne imminet à molâ tum matri, tum foetui. Quæ foetum in partu præcedit, sæpè extinguit foetum; quæ sequitur foetum, tolerabilior. Quæ profusionem sanguinis sibi habet conjunctam, ab illâ sæpe matri periculum metuendum grave; minus, quando gravioribus non implicata symptomatibus.

## §. 24.

Cognitis omnibus iis, quæ ad morbi essentiam, causas signaque pertinent, *curatio* ut citò, tutò ac jucundè peragatur, consuetam medendi methodum attendamus, necesse erit, quæ tribus nititur indicationibus usitatis: *Curatoria*, ipsius morbi ejusque causæ contentæ sublationem imperante; *preservatoria*, causas tam proximam, quàm remotas respiciente,

eademque quovis modo corrigendas mandante; & *vitali*, quæ viribus tum præsentibus, tum futuris prospicit, alimentis laudabilibus, & medicamentis roborantibus & analepticis. Satisfieri verò hisce indicationibus poterit exactè ex tribus sequentibus fontibus ordinariis.

## §. 25.

Chirurgia primâ fronte exhibet Venæsectionem, heroicum planè remedium, & affectui nostro eliminando maximè conveniens, inprimis si plethora adsit, & sanguis intus unà redundet. Hæc enim molæ alimentum subtrahit, & quo minùs facultati expultrici resistere queat, efficit. Commodè verò suadente *Sennerto l. c.* tunditur *vena talaris* vel *poplitis* unius vel utriusque pedis, unâ vel repetitis vicibus, & tantum sanguinis emititur, quantum plethora indicat & vires admittunt. Hoc enim modo, juxta *Galenum*, menses provocantur & uterus à vitiosâ humorum colluvie purgatur, ut parte demptâ massa reliqua circa molam hærens remediis convenientibus eò meliùs corrigatur & expurgetur. *Cucurbitule scarificatæ* venæsectionis vicem subeunt, inprimis in iis, quæ venæsectionem ferminus queunt, & in quibus, misso jam sanguine, vires non tam firmæ, vel venæ delitescunt, ut in pinguioribus, vel ubi sanguis non æquè copiâ peccat. Par ratio quoque est hirudinum. *Cucurbitule sicca* femori cum multa flamma admotæ & *frictiones* partium extremarum, inprimis crurum dolorificæ matutino & vespertino tempore institutæ, *Rolsincio l. c.* teste, egregiam quoque navant operam. Quod si verò res eò tandem pervenerit, ut mola neque Chirurgicis jam dictis, neque pharmaceuticis præsiidiis auscultet, ipsa *ἐπιχειρησις* seu artificiosa manualis operatio erit adhibenda, quam Autores sæpè fructuosam deprehenderunt. Operationis hujus modum describunt *Hildanus cent. 2. observ. 52.* & *Paræus lib. 23. oper. chirurg. c. 35. aliique.*

## §. 26.

Ex fonte *Pharmaceutico* non minorem auxiliorum copiam speramus; siquidem in eo pro diversitate morborum, diversa quo-

quoque reperimus remedia, tam interna, quam externa. Ex internis primo loco occurrunt *purgantia*. Uti verò in omni morbo, teste *Hippocrate*, alvum apertam esse, expedit; ita & hic convenient illa pro humoribus crudis eliminandis. Cautè tamen adhibenda sunt, nec temerariè, propinanda. His præmitti debent *Lenientia*, benedictæ illæ à Arabum interpretibus appellatæ medicinæ, quæ primas vias à cruditatibus limosis abstergendo liberant facultatemque expultricem alvi stimulando aliis medicamentis aditum intimiorem patefaciunt. Convenient sequentia:

℞ *salis artemis.*  
*digest. Sylv. ã gr. viij.*  
*ol. anis. gt. j.*

M. l. a. D. in chartâ S.

Digerter fals.

℞ *el. propriet. purg. ʒi.*

*Tinct. ꝑr. ʒß.*

D. in vitrò. S.

Exirende tinctur, cum brodiò carnis sumenda.

Si verò arideat magis evacuare vitium sensim atque sensim per alvum, sequens proficuum esse poterit infusum.

℞ *rad. bryon. nostr. ʒij.*

*fol. fenn. Al. s. s. ʒv.*

*summ. cent. min.*

*fl. cheiri, calendul. ã p. j.*

*sem. anis. ʒj. cortic. aurant. ʒiß. ☉ ꝑri ʒi.*

*croc. ꝑt. aperient. c. ꝑ. parat. ʒij.*

*rhabarb. optim. ʒiij.*

*herb. meliss. artemiss. ã Mj.*

*calamint. ã p. ij.*

*bacc. laur. ppt. ʒß.*

Incis. contus. f. a. D. In nodulo. S. Species zum *Sindolaxierwein*. Infundantur duo canthari vini generosioris odorati; quò de singulis diebus unus aut alter bibatur haustus, pro ratione circumstantiarum emetiendus.

Eidem scopo inserviunt pilulæ ex *aloe rosatâ*, *violatâ*, vel etiam c. *succo fumarie* inspissatâ; item ex *mass. pil. ꝑrearum Schröderi*, *martiales* & similes. Similiter potiunculæ ex *sir. ros. vel violar. solut. cichor. c. rhabarb. bizantin. de duabus radic. vel ex mann. calabrin. rec. cum aquis appropriatis, meliss. puleg. matricar. artemis. sabin. paratæ*, ex usu esse possunt.



## §. 27.

*Fortiora* si visa fuerint necessaria, commodissimè ex *gialapio*, *scammonio*, horumque, *resinis* & *magisteriis*, cum extractis, *panchy-mag.* *Crollii* & *diacatholico*, vel in formâ pulverum, vel pilularum propinantur, vel cum conservis specificis boli formantur.

## §. 28.

Inter alia hùc spectantia medicamenta non infimam merentur laudem *clysteres* partim ex uterinis, partim ex emollientibus parati plantis, aliisque stimulantibus & solventibus, tam ante, quam post *Venæ sectionem* adplicati, ut durities *scybalorum* educatur, flatulentia resolvantur, æstusque, quò *hypochondria* atque uterus sæpè molestantur, temperetur. Talis esse potest sequens:

℞ *rad. alb. lil. albor. ā ʒj. bryon. nostr. ʒʒ.*  
*herb. meliss. artemis. chærefol. ā Mʒ.*  
*flor. chamom. Rom. Mj. fl. cheir. p. iij. anthys p. j.*  
*sem. anis. aneth. ā ʒj. Coq. in l. q. ▽ commun.*  
*colatur. lbj. add.*  
*elect. diacathol. de bacc. laur. ā ʒʒ.*  
*ol. chamom., anethin., rutac. ā ʒʒ.*  
 ☉ *anodyn. ʒiat. ʒj. F. l. a. Clyster, tepidè injiciendus.*

## §. 29.

*Vomitoria* quemadmodum in partu ad fœtûs propulsionem interdum summum & præsentaneum sunt remedium; ita ad molam expellendam suam quoq; præstabunt operam, modò vires corporis respondeant, viscerumq; principaliorum *negociis* consentiat. Ex omnibus *giata* hùc laudem merentur, e. g. *ʒ vita, rosa vite mineralis, ʒ rus emeticus, oxysacch. emeticum*; dosi exigua propinanda juxta methodum.

## §. 30.

Diaphoreticis etiam hic sua manent encomia, quatenus massam sanguineam mundificant, vitiumque à centro ad circum-

cumferentiam ducendo eliminant; unde generationem molæ impedire, fluxum verò menstrualem promovere valent. Suntque vel fixa, *ſium diaphor.*, bez. *ſtiale*, *ſiviale*, *Ore*, *Dre*, &c. vel volatilia, *ſpir. C.C. eboris*, *liq. C.C. ſuccin.* &c. velex his media, *mixtura ſimpl.*, *R bez. acida*, &c. Doſis & utendi modus nota ſunt.

## S. 31.

Serofis ac bilioſis ſcoriis quando ſanguis ſcatet, *diuretica ſimul* proficua eſſe poſſunt, quòd eaſdem fundant, attenuent & per urinam ducant. Inter alia *ſpir. Θ rectificat. dulc.*, *ſpir. ⊕ dulc.* *⊕ li regeneratus*, & alia ex *baccis juniperi* & *\*co parata*, *ſpir. \*ci anifat.* *caryophyll.* &c.

## S. 32.

Præmiſſis hiſce univerſalibus præſidiis, *alterantia*, quæ ſimul *ſpecifica* audiunt, conſideranda veniunt, utpote quæ ipſam molam pellere & menſes movere valent. Talia ſunt omnia illa, quæ foetum & ſecundinas aliàs expellere ſcribuntur, tam interna, quàm externa. Præcipuè laudantur *ſabina*, *borax veneta*, *trochiſc. de myrrhâ à Foreſtò*, *crocus*, *ſecundina humana præparata*, ejuſque *ſpiritus*, *teſtes equorum ppti*, *aristolochia longa*, *artemiſia* & alia ex hiſ composita: tum pulveres, tum eſſentiæ pro facilitando partu ab Autoribus deſcriptæ. Item: *hepar anguille c. felle ſuo*; Et omnia, quæ inciforiâ ſuâ virtute viſcidos humores agrediuntur & meatus uteri recludunt. *Spiritus Θ \*c. vinoſus*, *⊕ ſabin.* & *cinamomi exaltatus*, optimam feret utilitatem ad *gt. xv° xx.* propinatus & iteratus c. vino odoratò. Vel: *R. borac. venet. ʒij* *trochiſc. d. myrrh. ʒß.* *croc. orient. ʒß.* *ol. cinam. ſabin. ℥t. ā. gt. ij* *F. pulvis pro 4. doſibus.* Pertinent huc quoque composita: *pulvis ad part. diffic. Auguſt.* & aliorum medicorum ſpecifica.

## S. 33.

Si verò mola hiſ non cedere vult remediis, confugiendum in-  
defeſſò tramite ad *ſternutatoria*, quæ naribus inflata commovent totum corpus, imò ad uterum penetrant, molamque è ſede ſuâ eji-  
ciant, præcipuè ſi *Coi* monitum obſervetur *ſ. aph. 35.* Commo-  
diſſimum hoc eſſe poterit: *R. rad. belleb. alb., pip. long. cubeb. carda-*

*cardamom.* ā. ℥β. *euphorb.* gr. iij. *fol. majoran.* ppt. *flor. lil. convall.* ā ʒβ. *ol. citr.* gt. ij. F. l. a. pulvis subtilis, pro sternutatione, repetendus.

## §. 34.

Exteriùs quoque *balnea*, *infectus* & *fomentationes* ex emollientibus, paregoricis & uterinis parari poterunt & cum fructu applicari. Recipi possunt *rad. alb. bryon. nostr. aristol. long.* ā. ʒj. *herbb.* ʒ. *emollient.* ā. Mij. *chamom. c. tot.* Mij. *puleg. matricar. meliss. artemis. origan.* ʒial. ā. Mj. *sem. lin. fœn. græc. contus.* ā. ʒiiij. *bacc. laur.* ʒj. F. species pro balneò. A Foresto maximè laudantur *anethum* & *ruta*, lib. 28. obs. 61. qui etiam juxta *Aetium* lib. 16. cap. 82. de molâ, *ruta* & *anethi decoctum* in vinò ruffò odoratò factum & propinatum valdoperè commendat. Similiter ex suprâ recensitis herbis *sacculi* & *cataplasmata* ex *alb. malv. fœn. græc. linò* &c. parantur, coqvuntur & expressi tumentum abdomini imponuntur cum emolumentò. Neque suâ carent laude abdominis *inunctiones* cum *ol. lil. alb., anethin. chamemelin. cheirin., ungt. dialth., laurin.* &c. factæ & repetitæ per vices. Svadentur etiam *peSSI* emollientes ex *æsypo c. butyro*, pinguedine *anserina*, *medulla cervina*, & oleis *lilior. alb. irinò, chamom.*; quibus alii *galbanum* addunt, *castoreum* & *ceram*. His quoque adnumerari possunt *suffitus* per sellam perforatam excepti ex *sabina, anetho, cumino, asa fœt., scor. reg. ʒtial. c.* vinò vel urina cocti.

## §. 35.

Præter jam recensita debent quoque ordinari *confortantia*, quæ tam spiritibus vitalibus, quàm animalibus opem ferre poterunt promissimam, eaque vel interna, vel externa. Illa sunt *cinamomi, fl. aurantior., Embryon., salv. lil. convall. meliss.* &c. cum spiritibus analepticis, cordialibus aut cephalicis exaltatæ. Hec balsama ex *citri, aurant., cinamomi, rosar., anth. angelicæ. succini*, aliisque, modò carpis manuum, modò temporibus, ipsis naribus, & ipsi scrobiculo cordis unà cum epithematibus applicanda, quando *lipothymia, syncope* aut alia gravia vel sexcenta

centa symptomata infestant molæperarum corpora. Spe-  
ctant & huc *pennæ perdicum* aut *anserum accensæ*, *castoreum* in  
petiâ ligat., *as. fæt.*, *ol. C. C. fæt.* & ipsius  $\text{♀}$  *ri*, *fuliginis* &c.

## §. 36.

Supervenientia symptomata, e.g. hæmorrhagia uteri, do-  
lores uterini & lumborum, tandem auxilium exposcunt. Suc-  
currendum eisdem erit *corall. rubr.* *succin ppt. lap. S. bez.* *Stial.*  
*Stio Stial. cachect.* &c. quæ exaltari possunt *cinnabarinis* & maritari  
cum *anodyn. Rolfinciano*. *Martialia* ritè præparata eundem obtine-  
bunt scopum, ut & *travmatica interna*, aliaque è suis oculis pe-  
tenda.

## §. 37.

Denique *Dieta* leges observandæ sunt, partim in ipsâ  
curatione molæ, partim pro ulteriori cautelâ, eâdemque ar-  
cendâ. Triplicis ordinis illæ sunt: *Vitalis* aerem suadet pu-  
rum, temperatum, calidum magis quàm humidum; evitandum  
autem humidum, frigidum, borealem, crassum, nebulosum, pa-  
ludosum. *Naturalis* ordinat cibum  $\text{ἔυχυμον ἢ ἔυπεπτον}$ , aro-  
matibus & radicibus aperientibus conditum, qui cruditatibus non  
dat ansam, sed benè digeri concoquique facilè potest. Potus  
cerevisia sit probè defecata, lupulata. Vinum quoque convenit  
modicè sumtum, quod medicatum fieri potest absinth. meliss.  
zedoar. cinamomo, galang. cortic. citr. aurant. &c. *Animalis* mo-  
tum quidem corporis & ambulationem crebriorem suadet, sed mo-  
deratum, quò spiritus excitentur, vitaque florida magis & vegeta  
servetur, sanguisque liberior fluat. Somnus & vigiliæ me-  
diocritatis non excedant limites; & *animi pathemata*, eaque gra-  
viora, ira, timor, mœror, tristitia, melancholia, fugienda, utpote  
quibus molæ generatio augeri potest. Potiùs omnia ea, quæ ean-  
dem impedire possunt, aut ejusdem expulsionem promovere, ob-  
servanda. Excretorum verò & retentorum illa habenda est ratio,  
ut alvus respondeat quotidie ex voto, & fluxus menstrualis, ob  
molam retentus, quò citiùs, eò meliùs promoveatur. Quod si  
obtinuerimus, optatum consecuti tunc sumus

F I N E M.

**C**uncta labore **D**ivendunt.  
 Hinc præmia nulla  
 ignavis dantur. **M**AASI, Tu  
 præmia dignè  
 accipis. **E**t libris si perges invi-  
 gilare,  
 omnia successu cedent Tibi cæ-  
 pta secundo,  
 & quoque consilio promptus, dex-  
 terque medendo  
 depelles morbos diros. Tibi fau-  
 sta precamur.

Hæc gratulab. sed properante  
 calamo adpos.

**Rud. Wilhelm. Grauß**  
 Phil. & Med. D. P. P.

**S**i patitur morbum bis fœ-  
mina, duplici curâ  
indiget, ut redeat corporis  
ille decor.

Non animal mirum est anima  
li ferre laborem,  
ast utrique grave est ferre  
decenter opem.

Tu studio fatagis vegeto lau-  
dem hancce mereri,  
non hæc est medico posse  
placere minor.

*Gratulante & sincero affectu  
scrib.*

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

21.  
**M**agnæ laudis erit Tibi scripto  
tradere, MAASI

Docte, molam, quoniam non  
sine mole mola est.

Non Tibi doctrinæ est rudis indige-  
staque moles, (molâ.

Curatâ hinc capies præmia summa

Sic ex animo vovet

Præses.

---

**Q**ui res abstrusas tectasque re-  
fert in apricum,

Laudibus hunc summis con-  
decorare decet.

Esse molam multis cinctam densis-  
que tenebris,

Phœbææ sobolis plurima scripta  
volunt.

Tu verò Sisyphi volvens, amplissi-  
me Maasi,

Saxum, doctrinæ lumina fundis ei.

Tu

Hinc ad supremum culmen te glo-  
ria tollit, (Tibi.

Addens Doctoris nomina clara  
Det Deus, ut, quot habent niveos  
candentia rura

Floccos, tot fructus hic novus e-  
dat honos.

Adjuvet alma Trias, pressis solatia  
præstes, (Trias.

Ut morbos frangas, adjuvet alma

*Gratulabundus scribebat.*

Joh. Conrad. Fuchs / D.

**N**on semper sequitur laus omnia facta, sed illa  
Demum, quæ Doctis esse probata solent.

Tale Tuum dubio procul est: hinc laudo, Tibique  
Gratulor, ex altis omnia fausta precans.

Præclarissimo Dn. Doctorando pauca hæc gratu-  
labundus adponere voluit, debuit

Joh. Christoph. à Korbitz / Nob. Mistr.

**S** ist ein Edler Sinn / der sich gen  
Himmel schwinget  
Und sucht den Sternen-Lauff / wo  
Ihn die Tugend krönt.

Nichts



24.  
Nichts ist Ihm hinderlich an dem / dahin er  
dringet/  
Wenn Er die Weißheit hat / darnach Er sich  
gesehnt.

\* \* \*  
Wohl Ihm / Gwehrter Freund / Er hat nun-  
mehr erlanget /  
Was Seinen Geist vergnügt und Ihn recht  
glücklich macht /  
Der Lorber ist bereit / daran die Tugend hanget /  
Wohl Ihm / Ihm ist gewährt / wornach Er  
längst getracht.

Mit diesem Wenigen wolten ihre gratulation gegen  
dem Herrn Doctorand ablegen / dessen  
Fischgenossen.

---

**D**ies ist der rechte Weg den Gipfel zu ersteigen /  
Wo graue Ewigkeit aus güldnen Zimmern siehet /  
Wo sich der Donner scheut für Daphnens Lorber-  
Zweigen /  
Und wo kein liechter Blitz nach ihren Blättern zieht /  
Dein Tritt / mein ander Ich / hat minstens hier gefehlet /  
Drum ist Dir auch das Thor der Ehren aufgethan /  
Da die gelehrte Welt viel lange Jahre zehlet /  
Die bey der Folge-Zeit mit nichten sterben kan.  
Ikt trägt die Arbeit Frucht. Ich wünsche Heyl und Leben /  
Der Höchste fördre Dich und schütze Deinen Fuß !  
Dort soll dein Lob und Ruhm in hoher Zierde schweben /  
Wo Früh das Sonnen Liecht aus seinen Angeln muß  
Also Glückwünschte aus Brüderlicher Affection  
Gabriel Naas / Phil. Stud